



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

86. Celebris, & difficilis est ista quæstio inter Doctores. an tempore magnæ sterilitatis, & inopiæ pragmatica frumenti, & aliorum rerum seruanda sit in conscientia, vel liceat vendere frumentum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

§. 1. Suppono supradictos, qui a nobis vocantur, Resolventes, impedire alios, ne merces emant ab iis, qui eas portant; sed eas ipsi anticipatè emunt, ita ut alij postea compellantur carius emere de manibus ipsorum. Hoc supposito, queritur an obligandi sint ad restitutionem. Affirmatiuè respondendum est cum Rebello de oblig. iust. n. 2. lib. 9. q. 1. §. 1. 8. sect. 3. n. 38.

2. Sed ipse contrariam sententiam probabilem etiam esse existimat, & post illum Bonacina de contr. disp. 3. q. 2. punct. 5. n. 5. vbi sic ait: [Non desunt ex recentioribus, à quibus huiusmodi reuenditores excusantur à mortali, & ab obligatione restituendi; etiam si caritatem inducant: quorum sententiam non improbabilem existimat Rebellus; & patet ex ratione mox allata. Ita Bonacina. Et ante illum in casu simili Molina de iust. tom. 2. disp. 3. 4. §. 5. n. 5. conel. 3. Filiucius tom. 3. tr. 3. §. 6. §. 2. n. 2. 1. & Lessius lib. 2. c. 2. dub. 20. n. 150. Et ratio est: quia tales non peccantur contra iustitiam, quando emunt: nam suppono, emisse pretio iusto currenti. Nec etiam supprimendo merces, quia non tenentur ex iustitia tunc vendere; possunt enim illas in alia tempora seruare, vel deferre in alia loca. Nec ciues habent ius iustitiarum ad eas emendas, nisi ipsi liberè voluerint. Quòd autem possint cogi à Magistratu, tantum infert esse aliquod crimen contra bonum publicum; non autem contra iustitiam particulatè. Peccabunt ergo ad summum contra charitatem, & bonum publicum; sed non tenebuntur ad restitutionem.

3. Ex his inferatur primò, cum Filiucio, & Lessio; loc. cit. posse sine onere restitutionis mercatorem, siue alium, impedire, ne aliunde ab aliis merces in ciuitatem portentur, dummodo id non efficiat fraude, minis, &c. sed ex sua industria, & bonis artibus. Secundo, posse quemlibet supprimere merces suas, vsque ad tempus opportunum, quo eas maiori pretio vendat, secluso monopolio: nam ita faciens vitur iure suo; habet enim ius consulendi sibi, & merces suas vendendi iusto pretio. Et ita Reginaldus tom. 2. lib. 2. §. 2. c. 2. n. 330. Tertio, excusantur transferetes triticum extra territorium, etiam si ob id pretium notabiliter augeatur: quia sic facientes violant iustitiam legalem, non autem commutatiuam; ergo non obligantur ad restitutionem: sed peccabunt ad summum contra charitatem, & prohibitionem Principis. Ita Bonacina, vbi supra, n. 6.

RESOL. LXXXV.

Solent aliqui merces certo pretio vendere, queritur, an hoc sit licitum? Ex p. 3. tr. 5. & Misc. 1. Ref. 116. alias 115.

§. 1. Respondeo cum Romaldo Coli tra. de emptione cum pretio anticipato, c. 2. n. 6. & Azorio p. 3. lib. 8. c. 9. q. 4. & aliis, licet merces certo pretio vendere quando dubitatur, num futuro tempore pluris, aut minoris aestimabuntur, in tali casu venditor, & emptor paris sunt conditionis; siquidem futurum pretium quomodo potest esse maius eo pretio quòd nunc taxatur, sic etiam poterit esse minus, ac idè emptor potest lucrari & perdere eadem ratione, qua venditor, & e conuerso.

2. Sed difficultas est in hoc Regno Siciliae; vbi ex Pragm. 1. 2. 3. & 4. tit. 61. tom. 1. prohibetur certo pretio vendere oleum, vinum, frumentum, limum, &c. Sed respondeo, quòd cum dictae pragmatice, vt legentibus patebit fundentur in præsumptione fraudis, quoties fraus deficiat, & venditio celebretur modo, quòd supra, putarem in foro conscientiae dictum contractum esse validum, & licitum, & contrahentes ad illud certum pretium teneri. Salua semper, &c.

Tom. V. I.

RESOL. LXXXVI.

Celebris, & difficilis est ista questio. An tempore magna sterilitatis, & inopia pragmatica frumenti & aliarum rerum seruanda sit in conscientia; vel liceat vendere frumentum secundum pretium commune, & vulgare? Et supponitur duplex esse rerum pretium; aliud legitimum, seu legale; aliud naturale, aut vulgare. Ex p. 1. tr. 8. Ref. 70.

§. 1. Supponendum est ex Aristotele lib. 2. Ethic. c. 7. duplex esse rerum pretium; aliud legitimum, seu legale; aliud naturale, seu vulgare; legitimum vocant Authores, quod lege Principis taxatum; & idè dicitur legale: naturale verò id, quod communi estimatione hominum statuitur: illud consistit in indiuisibili mathematico; hoc non consistit in indiuisibili, sed latitudinem habet supremi, medij, & infimi; seu rigorosi, vel rigidi; pij, & minimi. Ita D. Thomas in 2. 2. q. 77. a. 1. & ibi Caietanus, Banez, Aragon, Valentia, & Scotus in 4. disp. 15. q. 7. a. 2.

2. Hoc supposito, respondent aliqui Doctores, Pragmaticam, & taxam frumenti esse seruandam sub pena peccati mortalis, & obligationis restituendi, etiam tempore sterilitatis & inopia; & censent aliqui, contrariam sententiam nullam habere probabilitatem, nec esse tutam in conscientia. Ita Ioannes de la Cruz in director. conscient. p. 1. praecept. 7. q. 3. dub. 3. conel. 1. Ioannes Salas 1r. de empr. & vend. dub. 7. n. 3. Michael de Palatio de contr. lib. 2. c. 2. Petrus à Nauarra de restit. lib. 3. c. 2. n. 2. Bartholomæus Salonijs de iust. 10. 2. q. 77. a. 1. contr. 2. Basilius Poncius var. disp. p. 1. q. 2. scholastica 3. c. 7. in fin. & Petrus Ledesma in sum. 10. 2. tr. 8. §. 32. difficult. 19. fol. mibi 343. Et præcipuum argumentum, quod adducunt, est: nam communiter Doctores docent, quado lex est dubia, Principi obediendum esse: sed in nostro casu res est dubia, cum multi Doctores asserant, taxam frumenti, etiam tempore sterilitatis, esse iustam: ergo obligabit in conscientia.

3. Non desunt tamen Viri docti, qui contrariam sententiam tenent: & ita notat Ledesma; vbi supra, communiter docere Patres Societatis Iesu; & ex illis, qui scripta Typis mandarunt, P. Molina mordicus sustinet hanc opinionem de iust. 10. 2. tr. 2. disp. 3. 64. n. 7. vbi asserit: [Si frumentum antea lege erat taxatum pretio rationabili, ac moderato: ac mensè Martio, & Aprili sterilitas magna in annum sequentem comperitur ob pluvie defectum, aut aliqua alia ratione, non tenentur homines deinceps, vendere triticum suum pretio tempore abundantiae taxato. Quoniam præsumendum est, voluntatem Principis non esse, vt tanta superueniente sterilitate, lex, quæ tempore abundantiae lata erat, vim adhuc retineret; neque si id Princeps vellet, lex ista tunc esset rationabilis, iusta, ac proinde in conscientia foro non obligaret.] Hæc Molina. Atque hoc etiam voluisse videtur Nauarrus in sum. c. 2. n. 88 dicens, superueniente magna necessitate, tollitur omnino taxa: quem refert, & sequitur Rebellus de oblig. iust. p. 2. lib. 9. q. 2. sect. 3. n. 14. In hanc sententiam iuit etiam Valerius Reginaldus in sua præxi. 10. 2. lib. 2. §. 16. n. 270 asserens: [Quamuis decursu temporis, merces pluris aestimantur committer, quam sit à lege taxatum; non idè tamen licitum est secundum illam estimationem vendere contra hanc taxationem. Quanquam mutari debent leges, quando circumstantie notabiliter variantur, sique Princeps in eo esset notabiliter negligens, lex inciperet esse iniusta, nec in conscientia obligaret.] Ita etiam docuit Lessius lib. 2. c. 2. 1. dub. n. 14. ait enim: Mutatis circumstantiis, si Princeps esset negligens in pretio legitimo mutando, potest res vendi pretio vulgari. Ino, vt notat

Pontius;

Handwritten notes and marginalia on the right side of the page, including the word 'Cetera' at the top and various numbers and symbols.

Sup. hoc ex lata doctrina Ref. seq. §. vii. & infra in Ref. 91. §. Octauo & §. Ad vltimum;

Pontus, *ubi supra*, ex Authoribus, qui mordicè defendunt primam sententiam, nonnulli, quamvis inuicti, in istam latentè relabuntur: nam ex illis Salonijs, *loc. cit. n. 10* sic ait. [Quod si progressu temporis viderint apertè, & euidenter ipsi venditores, mutatum esse pretium rerum communiter apud omnes; quia variatæ sunt reuerà circumstantiæ omnes, & mercium, & temporum, & emptorum vbiq; terrarum, duratq; illa varietas non vno, aut altero anno, sed plurimis, nec propterea mutari pretia à lege, & Magistratibus; tunc licet eis vendere tuta conscientia res suas, non solum iuxta legis taxationem; sed etiam iuxta communem vsum fori ad arbitrium prudentum.] Hæc Salonijs. Sic etiam Navarra, *ubi supra*, & Aragon. *in 2. 2. q. 77. a. 1. dist. 2.*

4. Ad argumentum contrariæ sententiæ respondetur tunc procedere, vt bene ex Suárez in 3. p. 10. 5. *dispr. 4. nu. 5. & seq.* notat Salas de *le. ib. q. 96. tr. 14. dispr. 10. sect. 2. n. 13.* quando iustitia legis æquè probabilibus rationibus nititur: nam, si oppositum sit manifestè probabilius, subditi possunt se excusare ab obseruantia talis legis. Sed ita accidit in casu nostro. Ergo, &c. Vide Molfesum in *sum. 10. 2. tr. 12. c. 5. n. 86.* qui asserit, primam opinionem Molinæ, & aliorum procedere, quando taxatio singulis annis efficitur: secundam verò opinionem Salas, & cæterorum procedere, quando taxatio efficitur vniuersaliter, & vniformiter, habendo rationem fertilitatis, & sterilitatis. Vide etiam Malderum *in 2. 2. tr. 5. c. 2. dub. 1.* Bonacinam de *contr. dispr. 3. q. 2. punct. 4. n. 8.*

RESOL. LXXXVII.

An vidualia debeant à Republica taxari, seu potius arbitrio vendentium relinqui?

Et quid est faciendum tempore necessitatis, & penuria?
Ex p. 3. tr. 6. & Misc. 2. Rel. 60.

sup hoc infra in Ref. 91. §. Sed his minimè.

§. 1. Negatiuè prima facie videtur respondendum ex auctoritate Doctotis Nauarri in *manuali de oblig. iust. p. 2. lib. 9. q. 2. sect. 1. n. 5.* Sed audiamus verba Nauarri: Arbitror, inquit, rarissimè ponendam esse hanc taxam, tum, quia dat occasionem vendendi corrupta, & ferè inutilia eodem pretio, quo sincera, & vtilissima, tum, quia superueniente maxima necessitate annonæ, & frumenti, tollitur omnino taxa, & illa non incurrente parum est necessaria, tum, quia nemo diuitum vult mutare, neque vendere credito res taxatas, nisi pretio taxæ etiam tempore abundantia; tum, quia præbet occasionem innumerorum peccatorum mortalium mille modis taxam fraudantibus. Ita ille.

2. Sed contra doctum, & bonum senem, meritò insurgit vir in hoc genere nunquam satis laudatus Bartholomæus Salonijs *in 2. 2. tom. 2. q. 77. a. 1. contr. 2. n. 8.* & idem docet Ludouicus Lopez de *contr. lib. 1. c. 13. §. secundum quod pretia.* Probatur hæc opinio ex communi Doctorum sententia, Ioannes de la Cruz in *director. consuetudin. p. 1. præcept. 7. q. 2. dub. 2. concl. 2.* sic ait: Rex per suam legem potest taxare pretia rerum, & ita expedit boni communis conseruationi, maximè pro rebus communiter singulis necessariis. Conradus de *contract. tr. 1. q. 57. concl. 3. arg. 4. sol. mihi 272.* sic asserit: In lege *annonam ff. de extraord. criminib.* mandatur Præsidibus Prouinciarum, vt ad hoc suis statutis laborent, quòd annona non oneret, & quia certum est annonam augeri si superiores non taxent pretium rerum venalium venditioni expositarum, igitur ad hoc tenentur. Ita ipse, & alij, vt Petrus Ledesma in *summ. 10. 2. tr. 8. c. 33. concl. 6. difficult. 1.* Reginaldus in *praxi tom. 2. lib. 25. cap. 16. n. 289.* Petrus Tholoanus in *synagm. iuris lib. 36. c. 29. n. 10. & 11.* & Guillemè Homobonus de *Bonis de ex. a. Eccles. p. 1. tract. 6. c. 9. q. 43. in fin.* & tandem eruditissi-

mus Bobadilla in *sua politica tom. 2. lib. 3. c. 4. n. 63.* vbi sic loquitur: Es cosa conuenientissima à la Republica, que en los mantenimientos aya tasa, y postura, por lo qual tienen los Doctores, que tambien, en los paños, y sedas, y en los mefones, y alquileres de casas, en que fuesse possible hauia de auerla. Et paulò post, los Romanos por esta causa tuieron por bueno, y necessario gouierno venderse por tasa, y precio cierto los mantenimientos, y consta de sus leyes, y por las de los Reynos;] & in *sequentib.* latè docet quomodo Senatores debeant constituire pretia rerum venalium, probando omnia, vt ipse solet, cum autoritate multorum Doctorum, vide illum, & non pigebit te vidisse.

3. Nec desunt pro hac sententia firmada validissimæ rationes. Nam, vt docent Molina de *iust. 10. 2. tr. 2. dispr. 148. n. 4.* Molfesius in *summ. 10. 2. tr. 12. c. 5. n. 64.* Gaff. p. 1. lib. 2. c. 112. n. 6. & DD. *supr. cit. & infr. citandi*, ad iustitiam iustij pretij præcipuè considerandam est. Primò, multitudo, & penuria rerum. Secundò abundantia, & penuria pecuniarum. Tertiò, paucitas, vel multitudo emptorum. Quarto, varietas temporum. Sed vt optimè obseruant Lessius *lib. 2. c. 21. dub. 2. n. 8.* & Malderus *in 2. 2. D. Thoma. tract. 5. c. 2. dub. 1.* Superiores meliùs cæteris possunt nosse has, & similes circumstantias, ex quibus aestimatio rerum crescit, vel decrescit, & minus erit corruptum circa tales taxationes ipsorum iudicium, ergo propter bonum commune erit ab ipsis talis taxatio constituenda.

4. Et si forsàn aliquando propter aliquas circumstantias pretia non sunt taxata à Republica, sed arbitraria sunt, certè (ait Lopez *ubi supra*) non arbitrio ipsorum mercatorum, sed arbitrio prudentum, & peritorum arbitrandæ sunt. Tum, quia, sicut quisque suspèctus habetur iudex in propria causa, ita & mercatores in hac sua causa iudices essent deprauati. Tum, quia cupiditas excæcat, vt facillè à recto, in æquo deuient mercatores, si ex eorum affectu taxandæ veniant merces eorum. Tum, quia semper inuenerunt fraudes, obtinentes semper pro expensis, & laboribus accipere pretia cum aliqua accessione lucri, eùm tamen nequaquam semper eis liceat, præsertim cum sua ignauia, & imperitia interdum in causa sunt viles emende merces, caroque pretio quas tunc idcirco minoris vendere tenentur. Ita Lopez, quæ quidem multum sunt apta ad casum nostrum.

5. Ex quibus apparet responso ad argumentum Nauarri; nam plures fraudes, & maiora inconuenientia sequerentur, si pretia rerum essent arbitraria, quam si taxarentur à Republica, & vt bene Aduerit Rebellus *ubi supra* supradictis malis à Nauarro recensitis Superiores, si rectè officio suo fungantur, occurrere possunt. Igitur concludendum ex his videtur, propter bonum commune, pretia rerum venalium esse à ciuitate taxanda. Et ideo noster Megala *2. 2. lib. 2. c. 6. q. 3. n. 89.* testatus est, quòd regulariter hodie in Italia vidualia taxantur à lege. Hæc circa presentem casum pro temporis angustia breuiter, & cursim collegi ad instantiam Vincentij Vauni Syndici huius vrbis.

6. Verum post hæc scripta cursum, vt dicebam, legi doctissimum P. Tomam de Mercado, & quia codex rarus est, ponam per extensum eius verba, sic enim *lib. 2. de contr. c. 6.* asserit: [Los mismos Reyes tassan en Cortes algunas cosas, y cometen generalmente, à los Magistrados, especialmente las que son necessarias y mas se gastan pan, vino, carne, pescado, fruta, paños, sedas, lienzos, criados, casas; sin las quales no se puede viuir ni pasar. Porque sapiendo puntualmente, lo que valen, nadie puede agrauar en ellas, ni ser agrauado, en lo de mas, como brocados, terillas, joyas, y otras preleas no se requiere tanto la tasa, porque ni son tan menester, ni se gastan tan en comun, ni à la Republica se le da mucho valgan caro ni se puede tan claramente saber su valor; & paulò post addit. En ninguna manera conuenie dexar